



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

27 Aprilis. 5 Kal. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

triumphet gloria tua, & mirabilis misericordia tua!

S. MARIA, *qua hodierna Aldebrandescæ tuæ oranti, te spectabilem præbens, ei, id petenti, doloris tui gladium à Deo impetrasti. Dore me ex amore sancto sanctè pati, & mori!*

27 Aprilis. 5 Kal. Maji.

SAnctè Anthime Episc. qui, plurimis ad Christum conversis, lapidibus percussus, ferreis, & igne candentibus fibulis, talos transfixus, super acutas testulas volutatus, virgis cæsus, cælesti voce invitabaris ad præmia æternitatis. Tùm rotæ alligatus, versatus, ignitis lampadibus sensim exustus, post supplicia plura, & miracula, pluresque conversos, capite tandem plexus es exultans. Ora pro me illum, pro quo hæc omnia passus es, JESUM; ut me à torpore excitet, acuatque ad ardentem pro Deo agendum, & patiendum. Digna est his æternitas, digna Christi mors, dignus est Deus; ut in morte hoc mihi sit solatio, me in rebus Dei parcum fuisse nunquam, sed liberalem, ac ferventem semper. Ora denique, ut nec vivam, nec moriar vitâ tepidorum,

lorum, & morte. Amen.

Omnes sancti Martyres, gladio,
igne, aquâ, trucidati.

SS. Castor, & Stephane, MM.

B. Anastasi Papa, vir ditissimæ
paupertatis, & Apostolicæ solici-
tudinis.

SS. Tertulliane, & Theophile,
Episc.

S. Joannes Abba, sacrarum ima-
ginum sancte vindex.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, quæ Tuteloni, religioso
pictori tuo, Metis tuam imaginem pi-
cturo, magistra & ministra assedisti,
colores ministrasti, iuvisti, imaginem
perfecisti; mirari id visis ipsis etiam
Angelis, qui aderant, idque spectabant.
Pinge te in corde meo, Domina: ut sit
mihi, tanquam in imagine, insculpta,
& inscripta viva tuarum virtutum
effigies!

28 Aprilis. 4 Kal. Maji.

Sancta Sita Virgo ancilla, cujus
elemosynas miraculis etiam
laudavit Deus, cum panis frustula
in flores, aquam in vinum, vertit:
cui à templo reduci sub noctem, è
cælo descendens MARIA comes.

Z 4 fuit,